

# VOX URBIS

## DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

### Rerum index:

**Iohannes Pascoli.**

Actus fidei, qui « credere » dicitur, investigatur.

**Paroemiae sive Adagia.** A Scylla in Charybdis. — Cocta numerabimur exta.

**Aedes Mariae Paciferae ad Albam Dociliam** (vulgo Albissola).

De lusu qui vulgo dicitur « Domino ».

**Ex Sacris Congregationibus Romanis sententiae novissimae selectae:** Ex Congregatione Concilii, — Ex Congregatione Sacrorum Rituum.

**Diarium Vaticanum:** Coram SSmo. admissiones. — Pontificiae electiones.

**Annales:** Gallorum difficultates in Mauritania. — Bellum inter Italos atque Turcas.

**Publici per orbem coetus legibus ferendis.**

Per orbem.

Libri recens dono accepti.

Aenigmata.

**Appendix:** Anthea.

## IOHANNES PASCOLI

*Incipe, si quid habes; et me fecere poëtam  
Pierides...* (VERGIL.)

*Has tibi dat violas immortalesque amaranthos.,*

Quintilianus (X, 1,90) referens de morte Valerii Flacci Setini qui, ut notum est, inchoatos rudesque Argonauticon libros reliquit, maestissimis his verbis utitur: « Multum nuper in Valerio Flacco amisimus ». Nempe is qui latinis litteris vel ampliorem splendorem poterat ferre et luculenter ostendere quid quantumve suae vires in scribendo possent, iacebat extinctus, ac Musa, illo orbata, habitu lugubri silebat.

Haec eadem verba liceat mihi adhibere, dum pro meis quantulumcumque potero viribus, in hoc Commentario, qui minime a litterarum nostrarum progressu incrementoque procul abhorret, quin immo in primis vel quid in litteris ediderimus vel quid amiserimus egregii refert defletque commotus, de illa quae vere potest gloria summa Pieridum dici, scilicet de Iohanne Pascoli immatura morte absunto, commemoro.

Quum, sub extremi autumni tempore, labentibus foliis primo cum frigore tactis, nescio quaedam animos maestitia invadit eademque diu tenet eos adstrictos, quod natura videtur paulatim suaे venustatis ornamento denudari ac tardo gradu squalescere, et plantulae subtili culmo intro recipiuntur ne vis aquilonis de improviso exorta diruat divellatque, sic mortem Iohannis Pascoli eiusque vocem canoram crudeliter abruptam unusquisque nostrum non lente tulit, non indefletam commemoravit, sed tacito moerore affectus, extremum morientis spiritum secum volvit. Universus enim lacrimarum consensus, laudantium concentus, effusio florum super tumulum eius, Italiae denique luctus quam sors, singulum quemque optimum scriptorem auferendo, gra-

viter ac mortifere videtur vulnerare, manifesto ostendunt quid damni ex dulcissimi poëtae ammissione cuperimus.

\*\*\*

At primum pauca de vita et duriore eius fortuna referamus.

Iohannes Pascoli natus est in Flaminia, id est in illa regione quae olim Gallia Cispadana tenebatur, proprieque in castro Sancti Mauri, pridie Kal. Ianuar. a. MDCCCLV, obscuris fere maioribus, quod Rogerius pater in Toliniae principis agris villicans, suis lucellis necessaria ad vitam familiae modeste comparabat. Prima eius aetatis tempora laetiora fuerunt, sed postea intolerabili dolore laceratus est ob mortem carissimi parentis, qui a. MDCCCLXVII dum solus redit domum, ex insidiis interficitur. Quibus id angoribus Iohannem confecerit, non oportet dicere. Paulo post soror natu maior interiit; deinde mater, quam filius perdite adamabat; postremo fratres duo. Brevi, lares domestici exagitantur inque re familiari valde superstes laborat. Tristes enim dies eum manent. Tamen litterarum ediscendarum gratia in ephebo Urbini Metaurensis aliquandiu commoratus est, ubi a praeclaris illis religiosis viris Scholarum Piarum, qui optime latinam linguam callebant, eruditur, inter quos honoris causa et memoriae officio non possumus Iosephum Giacoletti, e Pedemontio, praeterire, qui vere *Apollinea clarus in arte erat*, quique iam praemia tulerat in regia Neerlandica Academia ob carmina *de vapore* atque *optice*, et Franciscum Donati, etruscum, qui in eodem Urbinate collegio italicas litteras tradebat. A Giacoletti ipso Pascoli illius Calabri doctissimi notitiam habuit, scilicet Didaci Vitrioli, cuius nemo est quin aureum illud carmen, in magno conventu Amstelodamensi ordinis litterarii praemio ornatum, cui nomen *Xiphias*, ignoret. Quod si istis rudimentis rigidam viam ac rationem adicimus Gandino, cui in disciplinam se Pascoli tradidit Bononiae, et praesertim naturam eiusque in-

genium perspicimus, quae ad poësim propensa erant, idest ad poëtico colore obumbrandum quidquid ante suos oculos versaretur, quidquid vel sentiret vel tangeret, facile intellegimus cur progressu temporis tantus in versu latino exarando poëta evaserit. Nonne enim Pascoli ipse admonet nos valedicere Giacoletti praeceptoru latini sermonis plenum? Nonne enim ipse quibusdam locis meminit plurimum se illis primis doctoribus debere?

Tunc, splendide primis studiorum difficultatibus victis, nec non praemio in litterarum certamine lato, in Universitatem Bononiensem transiit. Bononia tunc lumine doctrinaque Gandino ornabatur et Carducci, qui Pascoli discipulum habuit in deliciis. Iam inde a primis experimentis Iohannes signa dedit excellentis ingenii sui suaequa dexteritatis mirae in latinis versibus contendit.

Doctoris titulum nactus, se ad tradendas litteras dedit, et apud se sorores Idam et Mariam arcessivit, quarum altera usque ad extremum diem poëtae nunquam se ab illo seiunxit. Sic una vivebant, quamquam vel tenues erant quaestus; sed amor fungebatur vice cibi, iisque se invicem adamantes inopiae medebantur: quanta enim pietas, quanta dulcedo mixta dolori, quam suavis maestitia intra limen illud! Nescio num quis possit perennius exigere monumentum eo quod Iohannes in suis *Myricis* collocavit, in quibus suae vitae fortunas poëticę enarravit quaeque eius animi quasi speculum haud mendax dici possunt.

Placet mihi sic illos privatos parietes effingere: hinc poëtam suis studiis operam dantem, illinc sorores vel rebus domesticis intentas, vel carmen Deo pro suis mortuis dicentes...

Primo in nostris Gymnasiis publice iuvenes docuit, deinde in Lycaeis; sic tota fere Italia peregrinatus est, a Mateola ad Liburnum, vix sibi et suis consulens, quod ut vitam umbratilem modestamque ducere posset, coactus erat domi scholas habere. Tunc vero eius gloria paulatim effulsit, et in Universitatem Bononiensem arcessitus est de grammaticis graecis ac latinis expositorus. Deinde Messanam mittitur, pauloque post Pisam. Anno MDCCCVI, quod maximus est titulus honoris, Carducci successit in eadem aula et eodem suggesto, quod per fere decem lustra maximus Italiae vates litteratusque iudex summus tenuit, veram indagandi viam perspiciendi litterarum nostrarum monumenta iuvenibus ostendens. Tamen, quamvis summum honorum gradum attigisset, non animos extulit, non suas virtutes et sapientias ebullivit, non plausus captavit; sed simplex, ut humili loco erat natus, modestusque vixit, ingenio tantum exercendo deditus. Locorum quietis et tranquillitatis plenissimorum amans, in villam se libenter conferebat, ubi se ipsum suamque vitam simpliciorem reddebat adeo ut, omissis studiis, saepenumero sorori Mariae frugalem cenam instruenti opem ferret. Quid enim dulcius illi quam suis ipsum manibus panem cibarium conficere?

At licet incorrupta esset sanitate, in morbum gravem incidit qui, frustra adhibitis remediis, ut fulmen querum postridie Non. proximi superioris mensis Aprilis sustulit.

\* \* \*

Diximus de vita; nunc pauca de Pascoli Italorum carminum scriptore addamus, dum ad huiusee commemorationis consilium praecipuum contendimus.

Iohannes Pascoli poëta verus ac novus est, eiusque poësis tota dolore destillat. Per sententias discrepantes ad hanc affirmationem pervenit: vitam bonum esse omnibus, contemptis doloribus qui eam undique pertentant. « Umbra enim vana est p̄ae illa quam quisque diligit et sperat amittitque; hanc umbram eques peregrinus sectatur ». (1) Poëtae dolor inhaeret in visceribus ac solitudine nutritur: ille enim dolet mortem patris barbare interfecti, inque exulcerato animo dolorum solacia in poësi tantum invenit.

Sunt qui negent Pascoli doloris omnium communis cogitationem comprehensionemque; at id falsum est. Is vero progreditur, suas imagines latius explicat usque ad tellurem fere in suo amplexu comprehendendam. Quomodo sensus sensibus succedunt! Quomodo se intus adspicit inquiritque auctor! Quomodo illa quae in se ipso adnotat in imagines convertit! Ulixes autem non ille est de quo fabulose narrat Homerus, sed novo spiritu afflat, ratione nostrorum temporum servata. Nam Pascoli antiquas fabulas iudicio quod huius est aetatis interpretatus, vetustas formas fere ex integro condit novisque ornat sensibus: poëta vivit, severitatem percipit vitae una cum perpetuitate eius. Nihil eum fugit: res minimae aequae ac maximae commovent.

Dixerunt nonnulli iudices subtiliores heroes *pascolianos* humanitate privos esse, tamquam si a sensibus sevocati, a corporibus seducti fuerint: hoc autem non satis liquet. Ut mille eae passim adhibitae voces blandulae, dulciloquae, lepidulae quibusdam nugae ac vana ornamenta videntur, quum sit poëta suae artis causa ad eas coactus, sic Pascoli vitam universam complectitur et eam vel in rerum parvularum progressionē effingit: qui cogitat et agit; puellulam telam texentem; rusticum findentem terram vomere; opificem cotidiano suo operi incumbentem; aquilam et motacillam . . .; quippe qui omnia dilexit omnesque homines suo sinu complexuque recepit, eo magis quo sibi contemptiores hi visi sunt.

Quid autem de *Poëmatibus italicis* dicam, quae ita appellata sunt a magnis ibi viris agentibus, quaeque signo arbuti ornantur, scilicet illius silvestris indigenaeque arboris quae, sub prima nive cadente, rubras bacas habet floresque edit albos, ut cum viriditate foliorum perenni, Italicum nostrum vexillum efficiat?

Quid de carminibus in regis Entii memoriam, quorum materia ab omnibus illis rebus sumpta est, quae

(1) Vide carmen *La Felicità in Primi Poemetti*.

ad flavum principem a Bononiensibus captum in bello Fossaltino referuntur? En nobile ac vere maeonium poëma: lectori ante oculos durissimae obversantur aevi medii vicissitudines et remota revocantur tempora, dum in Italia potestas civilis atque mores et doctrina renovantur. In his omnibus experimentis inventionis felicitas apparet, sermo est purissimus, suavissimi sunt modi, ars procul dubio maxima est simplexque cogitationis vis.

\* \* \*

Quibus praemissis, illud attingamus, quod magis nostra interest: carminum latinorum Iohannis Pascoli tractationem.

De hoc argumento disputaturus, scilicet de Pascoli poëta latino, non possum in primis quin diluam ac refellam eorum sententiam, qui per hosce dies affirmare contendent illius carmina nescio quodam artificio infecta esse nimiaque diligentia conscripta. Isti enim iudices morosiores, assueti adunco nare suspendere omnia quae latini sermonis vim dulcedinemque in vitam revocare velint conamina, scriptoribus id contendentibus leviter artificium exprobant. Neque id mirum est, quum res eo pervenerit ut vel de illis poëtis qui renatarum litterarum tempore, optimorum Latinitatis auctorum vestigiis insistentes, quidquid versibus expresserint, praeclarum opus confecerunt, cursim ac fere cum contemptu nostra aetate diiudicatum sit! Quod si nonnulli fuerunt qui, latinitatis florem decerpido, musivum quoddam opus exararent, in quo vera facultas poëtica desideratur divinusque impetus, injecto verborum studio conquisitioneque, intercluditur, at quam multi, vel nova verba in linguam inducentes, ea usi sunt incorrupta sermonis integritate, sic optimis illis scriptoribus in proximo fuerunt, tantum in sua carmina venustatis, gratiae leporisque diffuderunt ut, si Vergilius Horatiusque redissent in vitam, minime ea suo nomini addicere dignati essent.

\* \* \*

Pro mea parte, ad argumentum propositum rediens, dicam quod sentio.

In legendis carminibus latinis quae Pascoli, aureo usus calamo, contexuit, sic nos venustate summaque sermonis virtute allicimur, sic puro eius et quasi candido genere dicendi capimur, ut multa cum admiratione quaeramus num ipse in poësi Latina maiorem sibi laudem quam in Italica comparaverit. Eoque magis ad hanc sententiam inclinamus quod illa scripta, ut Carducci aiebat, omnium scriptorum veterum et praecipiorum quasi odorem suavem sapiunt. Nam aurea latinitate vel penitus imbutus, quippe qui nocturna diurnaque manu antiquitatis doctae elegantisque exemplaria versando, assidue in humanis litteris se exercuerit, in illis scilicet gravioribus studiis in quae nulla fere praetermittitur dies quin contumeliose invehatur, in

suam rem optimorum auctorum doctrinam elegantiamque facile convertit et egregia prompsit, ut tellus laeta umores aetheris sorbens eosque alens in gremio, cum ver adeo frondi nemorum silvisque utile advenit et zephyris tepent dies ac sol acribus radiis amores in calicem torquet, gemmantibus herbis convestitur, novo tumet palmite, luxuriantem florum ornatum ostentat, unumquemque nostrum ad se mirantem trahit. Quod si huic exercitationi in qua Pascoli nimis elaboravit, ingenii facultates ad poësim propensi addimus, celestes illius motus sine quibus nulla vera poësis esse potest, illudque praeципuum contuemur qua ratione fabulas antiquas interpretando minime vero a nostris temporibus se deflexerit, quin etiam ipsa commenticia ad humanam condicionem detorserit, facile intellegimus cur perfectus scriptor atque artifex in suo genere evaserit. Quod quidem iudices Amstelodamenses non latuit qui haud aegre ab omnibus carminibus missis *Pascolianum* semper internoverunt, quique vel hoc anno *Thallassam* non potuerunt quin aureo praemio ornarent «summi cantoris opus eximum, quo vix cogitari quidquam possit praestantius».

Non desunt vero qui numeros Pascolianos quum valde admirantur, putent tamen eos a vera ac propria latinitate abesse; utpote qui novas imagines novasque sententias perquam dissimiles a veteri ratione sentiendi complectentes, auctorem coegerint novo itineri se committere: scilicet, latinis verbis tantum servatis, et gestum et orbem et ipsorum verborum contextum artificiosi variare, ita ut veteres optimique scriptores vix suae latinitatis halitum in illis tentaminibus agnoscant.

Quod quantum nutet solidisque careat fundamentis, nemo est quin videat. Nam, si reapse Pascoli nova quaedam pigmenta adhibet ad suum scribendi genus exornandum, nunquam vero ab exemplaribus sibi propositis deflectit; atque eadem ratione qua eius carmina non hemistichiis frustulisque antiquis una collectis et consutis constant, ut nonnullis videtur, sic facile calamistra ac lenocinia locutionis diruuntur, quibus ea carmina inspersa esse nonnulli quodam opinionis errore adducti dixerunt. Sive enim poëta antiquas fabulas vestustaque monumenta canit, sive Musam suam flectit ad humiliores gracilioresque res versibus effingendas, summus semper et felicitate inventionis et sinceritate atque splendore numerorum evadit.

Dum scribo, implet adhuc aures meas et iucunditate perfundit illius vocis moderatio, quae superiore anno laudes Romae celebravit. Quid hymno in Romulidum genitricem urbem excogitari possit excelsius, maius, praestantius, nescio. In eo enim sane ambigitur utrum sermo latinus plus addat vetustis monumentis splendoris ac gloriae, an ista sermoni qui plane cumulateque perfectus est. Mirum opus et Roma dignissimum, per quod aeternum sonat poëtae vox, ut adhuc fori reliquiae et sacri Palati ruinae spectantium oculos alliciunt. O qui sonorum concentus! O quanta in sermone maiestas!

Video fere per somnium heroes illos qui in prima urbis origine fuerunt: Pallantem, cui fuit ex arbuto compositus lectus; Faunum lucos et saxa Palatina habitantem; divos gemellos in equis immortalibus ante aeratas cohortes euntes... Assiduum audio Thybridis murmur, agnorum balatus, vigilantis bucinae sonitum caecam noctem findentis, passerisque cantum silvestri culmine salientis... Video autem saxum Capitoli muscoso sparsum rudere, immemores vaccas paventes Palatia, pastores circum domibus silvestribus ignem subdentes, mutantesque muris umbracula... denique Romam exsistentem sulco ac prorsus in imperium magnum passu aequo gradientem.... At quo ferar? Quo ardore conflagrabo? Quo gaudio percitus adducar?

Non possum tamen quin hosce referam versus:

Silebat gloria iam Romae, iam sacri fana Palati corruerant. Vetus haec late tenet omnia rudus. Plurimus obicitur caespites frondentis acanthi atque oblita sui caecis de stirpibus arbos; et lapidis fragmenta iacent in sentibus albi lapsaque subrident scolymis capitella severis. Instant semiruti muscoso fornice muri herbaque de rimis quatitur vitriaria vento, pendula ut a tuguri sordentis scruta fenestra. Hic pictos in calce deos iam diluit imber, hic male fixa truces scindunt aulaea procellae. Est lapidum scabies, sunt saxa virentia musco, sunt putres hederis freti cingentibus areus. Ignaris haec apparent velut antra gigantum qui iam rixati disiectis undique saxis nunc absint procul atque errent in montibus altis.

Quid his imaginibus optari possit pulchrius? Quid absolutius elegantiusve? Num quis possit romana monumenta ruderibus adspersa melius concelebrare? Ego quidem magnificam hanc descriptionem paefero illis Sannazarii versibus ruinas Cumarum, urbis vetustissimae, deflentibus:

Atque ubi fatidicae latuere arcana Sibyllae, nunc claudit saturas vespero pastor oves; quaeque prius sanctos cogebat curia patres, serpentum facta est alituumque-domus. Plenaque tot passim generosis atria ceris ipsa sua tandem subruta mole iacent. Calcanturque olim sacris onerata trophyae limina; distractos et tegit herba deos. Tot decora, artificumque manus tot nota sepulchra, totque pios cineres una ruina premit. Et iam intra solasque domos disiectaque passim culmina setigeros advena figit apos. . . . .

\*\*\*

Diximus nuper vel in rebus humilioribus concinendis Pascoli summum evasisse.

En habeo «*Myrmedon*», carmen venustissimum ac lepidissimum, in quo formicas providas laborumque

patientes poëta laudat. Eligo descriptionem bestiolarum inter se proeliantium:

Erumpit nigris directa maniplis iam legio, longumque nigram terit agmen arenam. Explorant Numidae, galea spectabilis alba Centurio effusos cogit, propellit inertes: Non tumuli tardant, rapido non flumine rivi. Protinus iniciit connexo pensilis ipso milite ponticolus: viva rate iungitur amnis. At tumulum terebrisque cavaut et erubibus aequant. Iam taciti subeunt hostilis moenibus urbis. Fit via vi: vigiles portis caeduntur in ipsis: iam vallum scindunt, capta versantur in urbe. Tunc exsudatae populantur messis acervos. Horrea diripiunt, tectorum limina frangunt, et trepidas iugulant nutrices ovaque secum heu tenerosque ferunt incerto corpore natos. . . . .

Quantum inest vis ac roboris in his versibus! Quo genus scribendi lumine ornatur! Nempe Pascoli rem penitus cognoscit, elegantis vetustatis cultum cum scientiae pervestigatione mire coniungit, ac dulcis poësis velamine tenuum formicarum vitam moresque obumbrat.

Sed operae pretium est unumquodvis carmen proprius perpendere.

De variis iisdemque cedro sane dignissimis carminibus, quae Pascoli in illud difficillimum certamen Hoeufftianum misit, quaeque fere quotannis in conventu Ordinis Litterarii a iudicibus praemio ornata sunt, hoc unum eligo quod *Paedagogium* inscribitur, quodque optimo quidem iudicio huius Commentarii lectoribus velut dapes gratas nectareasque moderator paeclarus offerre voluit. (1)

Simplex est carminis textura, nihil abstrusum et arduum, nullus verborum tumor, nulla prope dixerim putidula rerum conquisitio: argumentum non enucleatur per ambages, sed cito evolvitur, ad conclusionem properans, alacritate ac venustate sermonis exornatum.

Duo pueri, Kareius et Alexamenos, in aedibus Palatinis obsides, Pio Severo imperante, alienigenae, romanas litteras discentes, varii inter se patria, moribus ac religione, quippe alter, ludis deditus, invitus studeat idolorumque cultum profiteatur, alter vero, a ludo remotus, unice in studium incumbat Christianoque cultui adhaereat, mutuo contendunt, et parum abest quin res ad manus veniat. Statim a custode dividuntur; ethnicus puer in contiguum conclave foribus reclusis ducitur, ubi, postquam diu pede terram tutudit ac genas laceavit lacrimasque copiose effudit, rapto graphio, in pariete, cum quodam contemptu, crucem inscripsit, fixumque hominem asinina cervice auritoque capite, puerumque adstantem oscula seu thura pecudi, in stipite fixae, paegebentem adiecit. Quo facto, sub puero talia ministrante, sodalis sancti nomen insculpsit. Quum vero nox advenit sodalesque omnes, somno gravati,

(1) Cfr. num. sup.

dormiebant, ethnicus unus dormire non poterat, utpote cum anxius patriae cura ac parentum sollicitaret. Dum autem per noctem vigiliis vexatur, sodalem sanctum quem in die offenderat, preces quasdam tenui susurro proferentem audit. Commotus veniam poseit Kareius. Tunc Alexamenos, pro sua benignitate, amicum marentem solatur, alloquitur eum de patria ac parentibus quos alter posse visere desperat, et dexteram porrigit. Brevi, de Deo sermo fit. Kareius, qui proclivior ad iram est, quippe qui solus, orbus parentibus, expes, auditis illis verbis de religione et vero cultu, paulatim exsurgit, nescio quae maesta carpit solatia ac somno indulget placido.

Mane novo praetor Alexamenon obiurgat quod, ut fama fertur, se Christo addixerit, eumque admonet crucem linquendam esse malis latronibus et fugitivis. Quumque vero minime dissuadere possit, altera ex parte confisus gregem fore salvum, ecce Kareius qui se Christicolum profitetur,

. . . . . et offert  
Se fratri, iunctaque manu comitatur euntem.

En habes argumentum carminis, *suavis* sententiolis et imaginibus, *suavioris* vero nescio quadam maestitia quae passim inde efflat. Quam bene puerorum ludi et rixae effinguntur! Quanam arte puerilis aetas ac mores sub oculos subiciuntur! Quam mire voluerum consuetudines expressae se nobis ostendunt!

Ut cum deiectus subitis de nubibus imber  
diversas oppressit aves et adegit in unum :  
omnigenae coeunt in densum frondibus hortum  
aut nemus impluvii, et tacitae, dum detonet, una  
sub foliis latitant, ubi nescit passer alaudam  
iuxta tendentem nec non acalanthida parus :  
vix autem coepit per destillantia circum  
omnia ramorum splendescere versicolor sol,  
altera iam plaudit, iam pipilat altera, mussant,  
pileolum de fronde rubens haec exserit, atrum  
illa galericulum, dein ludunt, en micat alis  
omne nemus variisque sonant concentibus aedes.

Poëtam fere pictorem dicas qui, variis sibi coloribus assumptis, sapienter eos ministrat, ut res poscit, modo profundens, modo adumbrans, ita ut tabula, variis partibus exornata, spectantis animum moveat. Pascoli enim argumentum assumptum sapienter distribuit, atque nativa venustate sermonisque gratia vivace decorans, pulcherrimis descriptionibus intextis, ex quibus magis eius animi candor emicat, propositum assequitur. Forsan hue illuc obiecerit quis nescio quasdam audaciores latine scribendi formas et verborum consecutiones, nonnulla sententiarum insignia, nonnulla vocabula haud semper de purissimo fonte deprompta, quaedam denique paucissima a perfecta latinitate abhorrentia. At illud Horatii subit mentem :

*Verum ubi plura nitent in carmine, non ego paucis offendar maculis . . . . .*

Utcumque est, haerent animis nostris fixae, et semper haerebunt, suaves illae narrationes aut descriptiones ornandi causa interpositae, quarum Pascoli est peritisimus ac nulli secundus (vide, exempli gratia, puerorum lusus aviumque fugam sub imbris adventum in *Paedagogio*) ; manent semperque manebunt suavissimae illae imagines quas poëta artifici manu effinxit (*Phidyle*, *Pomponia Graecina*) ; alliciunt semperque allicient nos venustissima illa bucolica, per quae Vergilius ipse in nostras aures loqui videtur ; placet semperque placebit magna illa colorum pulchritudo ac varietas, qua carmina mirum in modum distinguuntur ; admirationem movent semperque admovebunt omnia illa difficilia tentamina nostras res latine reddendi; denique poëmatia supererunt, quod verae poësis vestigia prae se ferunt. De his enim recte dici potest quod M. Antonius Flaminius ad Andream Naugerium scripsit :

Quot bruma creat albicans pruinias,  
quot tellus zephyro soluta flores,  
quot spicae Libycis calent in agris,  
quot vindemia porrigit racemos,  
quot vastis mare fluctuat procellis,  
cum nascens pluvias reportat hoedus,  
quot Ceraunia frondibus teguntur,  
quot caelum facibus micat serenum,  
quot sunt milia multa basiorum  
quae dari sibi postulat Catullus,  
quotque sunt atomi Lucretianae,  
tot menses, bone Naugeri, tot annos  
vivent aureoli tui libelli . . . . .

Atque utinam — ominari licet — *diffractis clathris*, quam primum in unum congregata huiuscemodi poëmatia in vulgus proponantur et venalia fiant! Tunc facile unusquisque noscet quam clarissimus in latina poësi Pascoli, pressis Catulli, Vergilii Horatiique vestigiis, exstiterit et quantam in litteris, ob eius mortem, iacturam fecerimus.

\* \* \*

Nunc autem in gremio matris almae Pascoli quiescit, illius scilicet matris quam versibus elegantissimis cecinit, cuique velut piissimus memorque filius preces suas fundebat. Iam nunc vita rigescit poëtae qui bonus iam a prima adulescentia simplexque moribus ac ratione vivendi fuit, et sibi semper, vel in diebus maxima luce fulgentibus, usque ad diem ultimum constans.

Date nunc flores tumulo, pueri puellaeque : colligit, intexite rosas, lilia, violas, amaranthos, omnigenam camporum floram, eiusque sepulerum ornate. In eo enim conditur qui vos celebravit, qui Floram dilexit, qui summis in deliciis habuit rus, qui vere videbatur vivere veroque gaudio frui quum rus excurreret, et remotus ab urbium strepitu, camporum duleedinem, aquarum murmur, viridiania pratorum germina, stridorem avium pilantium floresque fragrantes admiraretur. Ni fallor, at mihi videtur eximium sui amatorem Natura perdisse ; hinc vero oportet ut Natura vestem lugubrem sumat eumque lacrimis uberibus defleat.

Quod si scriptor qui humiles res adamavit cecinitque, pulchrioresque vero ac sinceriiores comparationes de rebus naturae in suos versus derivavit, quemque ipsa Natura elegit ut ipsius ornamenta patefaceret, iam nunc compositus est in tumulo expectaturus dum salix benignam optatamque umbram porrigit, eius vero opus, eius scripta venustissima et comptissima, sive italicis sermone sive latino exarata, stabunt et vigebunt donec Natura cum suo magnifico florum tegumento in pretio erit; donec animos iustitia allicet et dolor interiores poscat fibras et pietas amorque pectora mortalium raffovebit; donec, prope dixerim, Roma stabit cui splendidus ille hymnus arcte subiungitur. . . . .

Consentiae, Nor. Mai. a. MCMXII.

MARCUS GALDI.

## Actus fidei, qui "credere,, dicitur, investigatur

Fides virtus et quidem supernaturalis est, imo inter theologales virtutes primatum tenens. Actibus propterea diversis pollet, quorum primus « credere » vocatur, quique actus, *internus, externus, implicitus et explicitus* esse potest. Quamvis saeculo, quod merito *infidele* denominari potest, vivimus, circa naturam, divisionem, necessitatem, meritum, necnon proprietates actus *credendi*, innumeræ nostris diebus agitantur quaestiones; tanta est fidei divinae in humanis animabus indigentia! Easdem in praesenti articulo quaestiones in examen revocatur, unice brevitati studebimus.

\*\*

Iuxta Modernistarum somnia « credere » solius voluntatis, non autem intellectus actus est; vel indigentiae cuiusdam, vel cuiusdam dispositionis effectus; vel est quidam instinctus in homine existens. Aliter sentiunt catholici, quos inter S. Augustinus, S. Thomas, Card. Newman, eminent. Hic, actum qui « credere » est, tali modo describit: « Credere idem valet ac timendam hanc veritatem sentire „ nos Dei creaturas esse „ ; idem est de facto ac in mundum invisibilem intrare! Est vere existimare mundum pro felicitate nostra sufficientem non esse; est usque ad ipsum Deum assurgere ipsumque præsentem habere, adventum illius exspectare, ac voluntatis eius adimplectionem curare... Credere est Deo se submittere, atque in manus eiusdem humiliiter se tradere. Penes scriptores inspiratos, fides et obedientia res sunt synonymæ; ideoque credere est res invisibles accipere, non quasi per rationem experientiamque de earum existentia certiores esse possimus, sed solo rerum invisibilium amore ducti. Fides supra syllogismum quemcumque est, an res reliqua magis minusve verisimilis sit non querit; dummodo quaedam probabilitas vo-

luntatem Dei credenti manifestet, fidei submissio habetur. Fides non ab evidentiæ gradibus mensuranda est ». (1)

S. Augustinus (2) de fidei actu scribit: « Quamquam et ipsum credere nihil aliud est, quam cum assensione cogitare. Non enim omnis qui cogitat, credit; quum ideo cogitent plerique, ne credant; sed cogitat omnis qui credit, et credendo cogitat, et cogitando credit».

Angelicus Doctor quamvis multis repetens vicibus: « Credere est actus intellectus, secundum quod movetur a voluntate ad assentiendum... Credere est immediate actus intellectus, quia obiectum huius actus est verum quod proprie pertinet ad intellectum... Credere non habet assensum, nisi ex imperio voluntatis; unde secundum id quod est, a voluntate dependet... Credere ad intellectum pertinet, prout est a voluntate motus ad assentiendum... Ex affectione quis inclinatur ad fidem: credimus enim quia volumus »; (3) dum tamen quaerit (4) « Utrum credere sit cum assensu cogitare » et rursus (5) « Quidnam sit credere, » S. Augustini definitionem actus credendi sumit, eamque taliter explicat: « Videlicet *credere* est cum assensu cogitare, si accipiatur „ cogitare „, non *communiter* pro qualicumque actuali consideratione intellectus, sed *magis proprie*, prout est consideratio intellectus, quae est cum quadam inquisitione, antequam perveniatur ad perfectionem intellectus per certitudinem visionis, et prout est, motus animi deliberantis, nondum perfecti per plenam visionem veritatis ». Credere enim taliter sumptum differt a) ab actibus mentis qui sunt *scire* et *intelligere*, quia in hisce est utique firma adhaesio intellectus, sicut in actu qui est *credere*, sed dum in primis est visio veritatis in se, in secundo visio illa deest — b) Ab actu qui est *dubitare*, quia in dubio, mentis adhaesio non est firma, e contra in actu qui est *credere*, adhaesio praestita ab intellectu veritatibus fidei, firma est — c) Ab actu qui est *suspicio*, quia in suspicione, motiva non sunt firma, e contra in ipso *credere* motiva assensus firma sunt — d) Ab actu qui est *opinio*, quia in opinione pars opposita timetur, in ipso *credere* vero, nullus est partis oppositae timor. (6)

Conformiter ad S. Thomae doctrinam optime Salmantenses scribunt: « (7) Actus evidentes, quales sunt qui attingunt prima principia, et conclusiones scitas, important quidem firmam adhaesionem, sed cogitationem, sive ulteriorem disquisitionem excludunt; actus autem inevidentes, cuiusmodi sunt dubitatio, suspicio, et opinio, cogitationem quidem afferunt, sed ad firmatatem assensus minime pertingunt: utrumque vero importat actus credendi ». Concludere fas est, *credere* esse

(1) *Parochial and plain sermons III, VI; VI, XVIII. BREMOND, Psychologie de la foi*, p. 312-313.

(2) *De Praedest. Sanct.* 2, 5. M. 44, 963.

(3) 2-2<sup>a</sup> 4, 2, ib. 2, 2; *De Verit.* 14, 3, 4.

(4) 2-2<sup>a</sup> 2, 1.

(5) *Id. de Verit.*, 14, a. 1.

(6) 2-2<sup>a</sup>, 14, ad 2. « Non enim crederet, nisi videret ea esse credenda vel propter evidentiam signorum vel propter aliquid huiusmodi ».

(7) V, XI, *Tract. de fide*, q. 2, a. 1.

actum supernaturalem intellectus humani, sub imperio voluntatis a Deo motae positum, quo actu firmiter assentit fidei veritatibus, non quidem in se visis sed evidenter credibiles.

Propter diversam huius actus, qui est *credere*, relationem ad ipsum Deum expressiones oriuntur: «Credere Deum, credere Deo, credere in Deum». Credere Deum, idem est, ac existentiam Dei credere; credere Deo, vult dicere, credere Deo veritates fidei revelanti; credere in Deum dicere vult, Deum esse finem ultimum humanae vitae. (1)

\* \* \*

Praeter hoc *credere internum*, *credere etiam externum* datur, quod est «confessio externa eorum quae sunt fidei». Credere *internum* et *externum* inter se comparari possunt, uti locutio interior et exterior comparantur. Locutio exterior ordinatur ad significandum id quod in corde concipitur, dum credere externum ordinatur ad significanda ea quae interius credimus, ideoque «sicut conceptus interior eorum quae sunt fidei est proprie fidei actus, ita etiam et exterior confessio». (2)

Circa necessitatem utriusque actus fidei, differentia quaedam asserenda est:

I. *Credere internum* est necessarium ad salutem. Concilium enim Vaticanum (c. 3 *De fide* Denz. 1642) statuit: «Sine fide impossibile est placere Deo, et ad filiorum eius consortium pervenire... nec ullus nisi in ea perseveraverit usque in finem, vitam aeternam assequetur». Ratio S. Thomae est, quia «ultima beatitudo hominis consistit in quadam supernaturali Dei visione. Ad quam quidem visionem homo pertingere non potest, nisi per modum addiscentis a Deo doctore... Unde ad hoc quod homo perveniat ad perfectam visionem beatitudinis, praexigitur quod *credat* Deo tamquam discipulus magistro docenti».

II. *Credere externum* e contra «non semper neque in quolibet loco est de necessitate, sed in aliquo loco et tempore»: a) «Non semper neque in quolibet loco» quia confessio fidei est affirmativum praeceptum, «praecepta autem affirmativa... non obligant ad semper, etsi semper obligent; obligant autem pro loco et tempore, et secundum alias circumstantias debitas, secundum quod oportet actum humanum limitari ad hoc quod sit actus virtutis». — b) «In aliquo loco et tempore» quando scilicet per omissionem huius confessionis subtraheretur honor debitus Deo, et etiam utilitas proximi impendenda: puta si quis interrogatus de fide taceret, et ex hoc crederetur vel quod non haberet fidem vel quod fides non esset vera, vel alii per eius taciturnitatem averterentur a fide. In huiusmodi enim casibus confessio fidei est de necessitate salutis». (3)

(1) Cf. S. TH. 2-2<sup>ae</sup>, 2. 2.

(2) 2-2<sup>ae</sup>, 3, 1.

(3) S. TH. 2-2<sup>ae</sup>, q. 2, a. 3; q. 3, a. 2.

Circa autem meritum actus qui est «credere» retinendum videtur, utrumque credere, *internum* nempe et *externum*, esse meritorium, quia ambo subiacent imperio libertatis humanae, et ubicumque habetur imperium libertatis, meritum quoque habetur. — a) Subiacet imperio libertatis humanae *internum credere*, quia nemo credit nisi volens, et voluntas est quae intellectum movet ad assentiendum. — b) Subiacet imperio libertatis *credere externum*, quia nisi homo velit, non manifestat exterius ea quae vel in corde illius sunt, quaeque ab eo creduntur. (1)

\* \* \*

*Credere* denique *explicitum* vel *implicitum* esse potest. Credere aliud explicite iuxta Billuart (2) est illud credere sub propriis et particularibus terminis, sub quibus nobis proponitur: sic credit explicite mysterium Incarnationis qui credit Filium Dei assumpsisse naturam humanam et Christum esse Deum et hominem; credit explicite mysterium Trinitatis qui credit Patrem et Filium et Spiritum Sanctum esse unum Deum et tres personas. Credere autem aliud implicite, est credere in alio, sive ut in principio universaliori in quo continetur, sive in sensu magistri, cui adhaeretur, sive ut in umbra et figura, quae scitur habere significationem, quamvis res significata clare non cognoscatur. Iuxta Suarez (3) explicite credere, nihil aliud est quam credere aliud in seipso, ita ut illud sit proximum obiectum in quo cadit assensus fidei: credere autem implicite est credere in alio tantum.

Pro nobis, veritas aliqua fidei potest primo explicite vel implicite credi; secundo debet explicite vel implicite credi. Potest explicite credi, si intellectui credentis explicite verbis omni remoto velamine proponitur; implicite vero si intellectui credentis sub velamine et umbra quadam et tamquam in alia veritate contenta fuerit enuntiata ac proposita. Debet autem veritas quaedam explicite credi si: 1<sup>o</sup> fuerit intellectui credentis explicite proposita; 2<sup>o</sup> si de illarum veritatum genere sit, quae per semetipsas ad fidem pertinent, idest quae fideles directe ordinant in vitam aeternam. Si secus sit, si videlicet una ex assignatis conditionibus deest, fideles tenentur veritatem fidei implicite credere, nempe prout Angelicus (4) ait: «In preparatione animi, in quantum paratus est credere quidquid in divina Scriptura continetur. Sed tunc solum huiusmodi tenetur explicite credere, quando hoc ei constiterit in doctrina fidei contineri».

REGINALDUS FEI O. P.

(1) S. TH. 2-2<sup>ae</sup> 2, 9.

(2) Tom. V, *de fide*. Diss. 3. a. 2.

(3) DE FIDE. Disp. 2. Leet. VI, 2.

(4) 2-2<sup>ae</sup>, 2. 5.

*Percontatorem fugito, nam garrulus idem est  
Nec retinent patulae commissa fideliter aures.*

HORAT. Epist., 1, 18.

## PAROEMIAE SIVE ADAGIA

*A Scylla in Charybdis.*

Dicitur vulgo adagium quum gravius malum vitantes in alterum diversum incidimus. — Sumptum ab Homericā fabula, quae narrat Ulyssem, quum mētu Charybdis proprius ad Scyllam navem admoveret, sex e comitum suorum numero perdisse. Pausanias in *Corinthiacis* meminit, Scyllam Nisi, Megarensium regis, filiam fuisse, quae propter aureum crinem ademptum patri, in monstrum marinum conversa sit; cui videtur assentiri Vergilius in *Bucolicis*, quum ait:

*Quid loquar, aut Scyllam Nisi, quam fama secuta est  
Candida succinctam latrantibus inguina monstris,  
Ah timidos nautas canibus lacerasse marinis?*

Servius indicat, Scyllam Phorci et Crateidis nymphae fuisse filiam. Hanc quum amaret Glaucus, Circe, quae illius amore tenebatur, fontem in quo nympha lavari consueverat, magicis venenis infecit. In quem quum illa descendisset, ventre tenuis in varias mutata est formas; id enim Circae peculiare, in ferarum figuram homines vertere. Horrens itaque suam deformitatem, sese in mare praecepit dedit ac fabulae praebuit argumentum.

Sallustius Scyllam explicat esse saxum in mari prominens, quod procul visentibus muliebrem formam imitetur, in quod illisi fluctus, quoniam et luporum eiulatum et canum latratum viderentur imitari, finixerunt illam a ventre huiusmodi feris succinctam esse.

In Graecorum commentariis invenimus, triremem fuisse quandam mirae perniciatis, cui nomen fuerit inditum Scyllae, quod hac grassantes piratae mare Tyrrhenum ac Siculum infestarent, reliquaque naves, quotquot praeteriissent, dispoliarent; atque hinc natam fabulam.

De Charybde vero narrant poetarum fabulae, hanc foeminam fuisse voracissimam, quae, quod Herculis boves rapuisset, a Iove fulmine icta, in mare praecipitata fuerit, et in huiusmodi versa monstrum, quod adhuc pristinam servat naturam.

Servius ait Scyllam saxum in Italia esse, Charybdis in Sicilia, ac Vergilius in III *Aeneidos* transitum inter duo pericula angustum eleganter describit:

*Haec loca vi quondam vasta convulsa ruina  
(Tantum aevi longinqua valet mutare vetustas)  
Dissiluisse ferunt quum protinus utraque tellus  
Una foret; venit medio vi pontus, et undis*

*Hesperium Siculo latus abscidit arvaeque et urbes  
Littore diductas, angusto interluit aestu.  
Dextrum Scylla latus, laevum implacata Charybdis  
Obsidet.*

Et alibi idem:

*Inter utramque viam lati discrimine parvo  
Ni teneant cursus...*

Homerus in *Odysseae* XII periculum utrumque multis verbis describit facitque Circen admonentem Ulyssem, ut ad Scyllam potius inflectat cursum quam ad Charybdis, propterea quod praestet sex e sociis desiderari quam pariter omnes interire, declarans nimirum plus discriminis esse in Charybdi, quam in Scylla.

Adagio trifariam uti licebit, vel quum admonemus, si quando in eas rerum angustias deventum fuerit, ut citra dispendium discedi non queat, e duobus malis id quod levius est eligamus, videlicet Ulyssis exemplo, et magis in eam vergamus partem, ubi minus sit iacturae. Quod genus, si quis pariter et de salute et de pecunia periclitetur, malit propior esse pecuniae, quam vitae periculo, propterè quod facultatum iactura utcumque sarciri potest, vita semel amissa nunquam restituitur. Vel quum ostendamus negotium anceps et periculosum, in quo summa moderatione sit opus, ut in neutram pecces partem. Hic iam non habebitur ratio utrum maius sit periculum; verum hoc tantum intelligitur, ingens utrobique discrimen subesse. Prioris exemplum fuerit: Memento longe satius esse in dispendii Scyllam incidere, quam in valetudinis Charybdis. Praestabilius est in rei pecuniariae iacturam, velut in Scyllam incurrire, quam in infamiae Charybdis incidere. Posterioris hoc: Cautē circumspecteque rem gerito, memor tibi inter Scyllam et Charybdis esse cursum. Tertius fuerit modus, si invertas hoc pacto: Dum parum eruditus videri times, in arrogantis opinionem incurristi; hoc est plane quod dicitur: Dum Scyllam vitas, in Charybdis incidisti.

Notandus denique est celebratus apud Latinos hic versiculus, quocumque natus auctore:

*Incidit in Scyllam cupiens vitare Charybdis.*

*Coeta numerabimus exta.*

Diomedes grammaticus, ubi proverbium definit, hoc exempli vice subiecit. Cuius hunc adscribit esse sensum: «Ex eventu sciemos»; cui confinis color ille comicus, etiam apud Graecos; «Res indicabit». Nam, ut ait Ovidius: *Exitus acta probat.*



## AEDES MARIAE PACIFERAЕ

ad Albam Dociliam (vulgo *Albissola*)<sup>(1)</sup>

*Principem Pacis*<sup>(2)</sup> cecinere sacri  
Codices Christum; gerit et *Maria*  
nomen haud dispar, vocitata *Pacis*  
alma Sequestra.

*Oppidum Stellam, Ligurum per oras,*  
atque confinem diuturnus *Albam*  
livor urebat; dederatque silva  
litibus ansam.

*Iura lignandi sibi vindicabant*  
invidi cives utriusque castri;  
saepe turbabant nemoris quietem  
iurgia, caedes.

*Arbitros consul Genuensis aequos*  
misit, at frusta: nihil aequiore  
arbiter scito, nihil ipse miles  
proficit armis.

*Caecus ad pugnam furor oppidanos*  
urget; indictus locus est diesque  
praelio; binas acies agellus  
separat arctus.

*Arma sunt: querni baculi, gravesque*  
mallei, falces et adunca rastra,  
asciae, palae, trifidoque dente  
horrida furca.

(1) Oppidum Albissola; quod Alba Docilia sonabat apud veteres Romanos, situm est in ora pulcherrima maris Ligustici, haud procul ab urbe Genua; ortum dedit Pontificibus Romanis Xysto IV et Julio II. In parte oppidi montana, surgit aedes Deiparae sacra, quae vulgo a Pace nuncupatur.

En huius nominis origo, qualis in priscis loci annalibus accurate describitur.

Inter cives *Albanos* et *Stellenses* (est autem *Stella* oppidum conterminum) saeculo xv, aeris exorta erat lis ob incertos limites intermediae silvae. Hinc frequentes rixae, quin etiam praelia et caedes. Frustra magistratus Genuensis, cuius in dictione erant loca, arbitros misit qui iura definirent; ac milites qui rebelles coercent. Eo tandem simultates devenerunt, ut dies locusque indictus fuerit, quo, per viros universos cuiusque castri, res tota armis decerneretur. Fuit autem dies illa XVIII Octobris a. MCDLXXXI. — Interea, dum pugnaturi convenient, matres, uxores, parvuli senesque, qui cum sacerdotibus domi remanserant, templum ingressi, enixi precibus carorum suorum incolumitatem bonamque pacem a Deo implorabant, interposito etiam Deiparae Virginis suffragio. Nec vana fuit eorum deprecatio. Mox enim mira illa contigerunt, quae in carmine memorantur: apparuit nempe nubes lucidissima, quae pugnam interceptit; audita vox est, e nube demissa, quae nomen *Pacis* ter pronuntiavit; statimque secuta est communis animorum reconciliatio, cuius, ad hodiernum usque diem, testis est templum, Virgini Paciferae aedificatum. — Sanctuarii primi custodes fuerunt Fratres Minores, et postea Sodales Augustiniani. — Nuper vero haec cura tradita est Patribus a SS. Redemptore.

(2) Is. ix, 6.

*Interim matres, pueri senesque,  
quique certamen reprobat sacerdos,  
ante divinae Genitricis aram,  
poplite flexo,  
  
supplices orant (lacrimosa turba)  
ne mali quidquam cadat in propinquos,  
neve Pax tardet, redditura, bellis  
ponere finem.*

*Mira res! fusâ prece vix piorum,  
advolat campis, ubi fervet ira,  
clara, quae solis radios videtur  
vincere, nubes.*

*Candidam lucem stupuere cuncti;  
omnis armorum strepitus repente  
cessat; in caelum sua quisque, mirans,  
lumina vertit.*

*Ecce, de nubis gremio, canora  
vox sonat Pacem, ter idemque nomen  
editur, quod iam cecinere nato  
sidera Christo.*

*Pacis exemplo modulos recantat  
centuplex echo, reboantque rursus  
ardui montes, riguaeque valles  
Pontus et ingens.*

*Ipsa proclamat inimica castra  
redditam Pacem; volat hinc et inde  
vox salutantum; tremor oscularum  
verberat auras;*

*aera pulsantur sacra, more festo;  
vis tonat nitri; loca celsa fulgent  
igne nocturno; reducique plaudunt  
omnia Paci.*

*Plura quid dicam? Mariale surgit,  
qua patres foedus pepigere, templum,  
suave cui Pacis, superis amatum,  
nonen inhaesit.*

*Heu! furunt aevo truciora nostro  
bella, quae vano premit Haga<sup>(1)</sup> nisu;  
tu, Parens Christi, precor, Iris alma,<sup>(2)</sup>  
assere Pacem.*

FRANC. XAV. REUSS.

(1) Id est Consilium Paciferum quod, communi gentium consensu, in urbe Haga apud Batavos constitutum est.

(2) GEN. IX, 12-17.

## DE LUSU QUI VULGO DICITUR "DOMINO,"

— Quoniam pluit, et mirum in modum pluit, et nos iuvenes ludere volumus, si non est clamore neque in acie ex pugnantium more ludendum, molliter tamen ludamus et placide.

— Quomodo vero?

— Tesseris ludendum est.

— Placet?

— Verum id paucissimis permittitur! Ad summum sint quatuor. Et nos centeni sumus et amplius.

— Non placet.

— Res omnis tamen est amice componenda. Quatuor re ipsa ludere consueverunt, sed alii circum ordine positi, oculis, ore, labellulis ludetis, et mira sane animorum voluptate. Sic vos pugnabitis « belligeris a gentibus undique septi, » qui certaminis consortes alios visu veluti participes operum ad ludendum compellant.

— Si ita est, incipite.

\* \* \*

Hic ludus ex Gallia novissime venit, et vocari solet *Domino*. Sunt quadraginta et amplius tesserae, ita vero distinctae ut binae binae usque ad numerum sex perveniant. Hae tesserae sic se habent. Prima nihilum signat, secunda, ex una parte nihilum refert cum numero uno, atque ita usque ad sextum. Sic est de ceteris.

Vis autem ludi, seu potius ludentis peritia, in eo tota est posita, ut quam citissime tesseras suas ex ordine numerorum deponere possit una simul optime concordantes.

Hic tamen ordo est potissimum servandus. Tesserae sunt in medio positae sus deque omnes conversae. Singuli ludentes, si tres sunt vel quatuor, vel etiam quinque et sex, sorte tesseras sibi studiose eligunt.

Tesserae in primis designantur unicuique sex vel septem. Quis autem princeps iocum init?

Qui sortitus est tessera bina sex referentem, hic incipiet; hic tandem est rerum dux. Si vis industrius rem facile intelligere, in me oculos mentemque vertito.

Alveolus ligneus est aliquando, saepe saepius est ipsum pavimentum. Qui iniit lusum cum binis sex est data facultas vel hinc vel inde tessera secundam adiungere, dummodo ex aliqua parte cum numero anteposito componatur. Tunc dextrorum per orbem quisque tessera ponit, qui cum novissimo perfectissime concordat.

Iam paullo superius annui industria esse ludentibus in omnibus tesserae quantocius ponendis, et si forte vel arte tibi contigerit per orbem tesseras optime aptare, victor eris. Quum vero numerus dissimilis erit, tunc hic praetermittitur, et ipsum excipit qui sequentem locum obtinet.

Res prospere tibi vel illi procul dubio cesserit, si tessera post tessera ponere potuerit.

Adsunt et multi qui pignore contendunt, partes huius vel illius faventes, et exultantes illud Vergilii repetunt:

*Depono : tu dic mecum quo pignore certes?*

Ipsi suis micant saepe, nictant, adnuunt; sunt et qui negent, oculis refutent, quum suus tesseram ponere reluctatur bonam vel incomposite se se in ludendo gerit vel inconsulte. Tunc omnium « trepidant sub pectore fibrae ».

Lis vero quam citissime « pede labitur aequo » si plures adsunt contendentes. Quando vix duo sunt vel tres, tunc si easu tesseram non habeas quae undequaque sit consors, ex tesserarum cumulo quae sunt in medio positae, vel unam vel plures expiscari poteris, usque dum illam sortiaris, quae maxime cum alia concordet.

Victoria tibi nimis tunc ardua fiat quod plures sint tibi sic tesserae in posterum iacienda, nisi forte adversarius in idem inciderit periculum. Tu vero mente recognita quas potius habeat tesseras, et quoad poteris, cura ne tute ei victoriam conferas.

Qui primus novissimam tesseram apte collocaverit:

*Plauditur et magno palma favore datur!*

Inferior adpellatur et poenam cum damno persolvet, qui omnium ultimus cum tesseris remanserit.

SUBALPINUS.

## EX SACRIS CONGREGATIONIBUS ROMANIS

### SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

#### Ex Congregatione Concilii.

*Litterae circa dies Festos.*

Plurimis ex locis pervenerunt ad S. Congregationem Concilii supplices libelli, quibus instantissime postulatur ut omnes aut nonnulli dies festi de numero festivitatum sub pracepto per litteras Apostolicas diei 2 Iulii 1911 expuncti, in pristinum restituerentur, tum ad satisfaciendum pietati fidelium id enixe expetentium, tum ob alias peculiares cuiusque loci rationes. Potissimum vero supplicatum fuit ut festum SSmi. Corporis Christi celebrari posset cum solemni processione et pompa, ut antea, feria V post Dominicam SSmae. Trinitatis; contrariis quibuscumque non obstantibus.

Dat. ex Secretaria S. Congnis. Concilii, die III mens. Maii MCMXII.

Porro, SSmus. Dnus. N. Pius PP. X, Cui relatio de praemissis facta fuit ab Eminentissimo Cardinali huius S. Congregationis Praefecto, « plane cupiens ne, ex praeposta aut non recta interpretatione praedictarum litterarum, fidelium pietas ac debitus Deo cultus immunitur; volens imo ut, quoad fieri possit, augeantur »,

haec quae sequuntur declarari, praecipi atque indulgeri mandavit :

I. — Quum, perpensis temporum rerumque novarum adiunctis, Summus Pontifex nonnullos dies expunxit e numero festivitatum sub pracepto, quemadmodum non semel a suis Decessoribus factum fuit, minime sane intellexit ut eorum dierum festivitas omnino supprimetur: vult immo Sanctitas Sua ut iidem dies in sacris templis celebrentur non minori, quam antea, solemnitate, et, si fieri potest, eadem populi frequentia. Ea vero fuit et est Sanctitatis Suae mens, ut relaxata maneat tantummodo sanctio qua fideles tenebantur iis diebus audire Sacrum et abstinere ab operibus servilibus; idque potissimum ad evitandas frequentiores praecetti transgressiones et ne forte contingeret ut, dum a multis Deus honorificatur, ab aliis non sine gravi animarum detimento offenderetur. Praecipit itaque Eadem Sanctitas Sua omnibus et singulis animarum curam gerentibus ut ipsi, dum haec commissis sibi gregibus significant, ne cessent eos hortari vehementer ut, iis etiam diebus, pergant suam in Deum pietatem et in Sanctos venerationem, quantum maxime poterunt, testari, praesertim per frequentiam in ecclesiis ad audienda sacra aliaque pia exercitia peragenda.

II. — Quo autem Christifideles magis excitentur ad supradictos dies festos pie sancteque excolendos, vigore praesentium litterarum, conceditur omnibus locorum Ordinariis ampla facultas dispensandi cum suis subditis super lege ieiunii et abstinentiae, quoties dies abstinentiae vel ieiunio consecratus incidat in festum, quod, licet pracepto non subiectum, cum debita populi frequentia devote celebratur.

III. — Item, per praesentes litteras conceditur ut festum SSmi. Corporis Christi, ubi Sacrorum Antistites ita in Domino expedire censuerint, etsi pracepto non obstrictum, celebrari possit cum solemni processione et pompa, prout antea, feria V post Dominicam SSmae. Trinitatis; contrariis quibuscumque non obstantibus.

Dat. ex Secretaria S. Congnis. Concilii, die III mens. Maii MCMXII.

#### Ex Congregatione Sacrorum Rituum.

*Dubia resoluta circa novas Rubricas.*

I. — Rubrica, Tit. X, n. 3, iuxta recentem Constitutionem *Divino afflatu*, colorem Dominicae proprium retinendum iubet; etiamsi Dominica infra aliquam Octavam ocurrat. (1) Quia vero Rubrica Generalis Missalis, Tit. XVIII, n. 4, colore viridi utendum esse praescribit ab Octava Pentecostes usque ad Adventum; quaeritur utrum Dominica II post Pentecosten, nempe infra Octavam SSmi. Corporis Christi, color viridis, an albus, usurpandus sit? — Resp. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam; et in Dominicis infra Octavas

(1) Cfr. *Vox Urbis* huius anni num. III, pag. 43.

occurentibus color Octavae adhibendus est quando in ipsis Officium non de Psalterio sumitur, sed de Octava.

II. — Quum anno proximo 1913 post Octavam Epiphaniae immediate sequatur Dominica Septuagesimae, quaeritur utrum Festum SSmi. Nominis Iesu transferri debeat, iuxta recentem disciplinam, in diem immediate sequentem; vel potius, ad normam veteris privilegii memorato Festo concessi, in diem vigesimam octavam Ianuarii? — *Resp.* Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.

III. — Festum Sanctae Familiae Iesu, Mariae, Ioseph, quod pluribus locis sub ritu duplici maiori concessum est, recensendum ne est inter Festa Domini, ita ut praevaleat Officio minoris Dominicæ post Epiphianam recurrentis? — *Resp.* Affirmative.

IV. — Et quatenus affirmative ad precedenter quæstionem, quid agendum de Festo S. Familiae, quando Dominicæ tertia, iuxta computum civilem, post Epiphianam occurrit in Dominicæ Septuagesimæ aut Sexagesimæ? — *Resp.* Festum S. Familiae ad instar simplicis redigendum est, quando occurrit in Dominicæ privilegiata.

(Ex decr. *Strigonien.* d. IX mens. Martii MCMXII).

V. — Quum in novis Rubricis unicum praescribatur Suffragium de omnibus Sanctis in quo mentio fit de Sancto Ecclesiae Titulari, quaeritur quid faciendum in Ecclesiis habentibus pro Titulo aliquod Domini Mysterium? — *Resp.* Nihil in casu fiat de Titulo.

VI. — An Suffragium de omnibus Sanctis locum habeat in Vigilia omnium Sanctorum, quando de ea fit Officium aut Commemoratio in Officio semiduplici? — *Resp.* Negative.

VII. — An versiculus: « Oremus et pro Antistite nostro N. » cum suo responsorio, nuperrime inter preces feriales insertus, dicendus sit etiam ab Episcopis Titularibus cum pronunciatione nominis Episcopi Dioecensi? — *Resp.* Episcopos Titulares non teneri.

VIII. — Num idem versiculus dicendus sit a Missionariis cum pronunciatione Vicarii Apostolici, aut Praefecti, aut Praelati? — *Resp.* Negative, nisi eadem nomina in Canone Missæ, ex Apostolico Indulto, prouinentur.

IX. — Quum in Feris Quadragesimæ, Quatuor Temporum, II Rogationum et in Vigiliis, in quibus occurrat Officium ritus duplicis maioris seu minoris aut semiduplicis, Missæ privatae dici possint, ex dispositione novarum Rubricarum, vel de festo cum commemoratione Feriae aut Vigiliae, vel de Feria aut Vigilia cum commemoratione Festi; quaeritur an in hac Missa de Feria aut Vigilia adiungenda sit tertia Oratio pro diversitate temporis? — *Resp.* Si Officium ritus duplicis recitatum fuerit, negative; si vero ritus semiduplicis, affirmative.

X. — Quae Praefatio usurpanda est in Duplicibus II classis Praefationem propriam non habentibus, quando occurront in Dominicæ minori et simul in die Octava

alicuius festi Domini, aut B. M. V., aut Apostolorum? — *Resp.* Adhibeatur Praefatio quae dicenda foret in Missa de Dominicâ.

XI. — Quando Officium Dominicæ II post Epiphianam, ad normam Decreti d. II mens. Martii currentis anni, (1) anticipatur die XVI mens. Ianuarii, occurrente etiam die infra aliquam Octavam, huius Octavae commemoratio fierine debet in Officio eiusdem Dominicæ anticipatae? — *Resp.* Affirmative.

XII. — Et quatenus affirmative, adiungine debet Suffragium ad Laudes et Preces ad Primam? — *Resp.* Negative.

XIII. — Quando Officium alicuius Dominicæ infra hebdomadam anticipatur, Psalmi feriales in Laudibus primo vel secundo loco sumendi sunt? — *Resp.* Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.

XIV. — Utrum suppressa censenda sit facultas adiiciendi in Missa orationes usque ad septem in simplicibus et ferialibus per novas Rubricas, quae collectas excludunt quando habetur quarta oratio? — *Resp.* Negative.

XV. — Utrum collectae, si fuerint duae, ambae adiicendae sint post tertiam praescriptam orationem; an una tantum? — *Resp.* Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.

XVI. — Quum quibusdam Dioecesis, neconon Ordinibus aut Congregationibus Religiosis, Indultum a S. Sede concessum fuerit quaedam officia particularia semel aut plures in mense aut in hebdomada, imo etiam singulis anni diebus, exceptis solemnioribus, celebrandi; ex. gr. SSmi. Sacramenti, SSmi. Cordis Iesu, B. M. V. Immaculatae, etc. sive sub ritu semiduplici, sive etiam sub ritu duplice minori aut maiori, ita ut videantur non officia Votiva, sed quasi festiva; quaeritur an ista Officia comprehendantur inter Officia Votiva quae a novis Rubricis (tit. VIII, num. 1) suppressa declarantur? — *Resp.* Affirmative.

(Ex decr. seu declarat. super novis rubricis d. XXII mens. Martii MCMXII).

XVII. — Utrum Festa Deiparae et Sanctorum quae sub ritu duplice maioris vel minori in Dominicis agebantur, possint in alia die fixe reponi si eadem Festa mobilia particularia iure vel privilegio translationis et repositionis ornabantur; an potius debeat, sicuti alia Festa mobilia, ad instar simplicis commemorari, nisi potius velint omitti? — *Resp.* Negative ad primam partem, nisi obtineatur novum Indultum; affirmative ad secundam, iuxta novas dispositiones.

XVIII. — Num Festa mobilia quae sub ritu duplice I vel II classis alicubi celebrantur, ius translationis et repositionis habeant, quamvis nulla de hoc iure mentio in decreto concessionis aliquibus locis facta habeatur? — *Resp.* Affirmative.

XIX. — Utrum Festa quae in universa Dioecesi vel in toto Instituto die fixa mensis celebrantur, si in

(1) Cfr. *Vox Urbis* huius an. num. VI, pag. 61.

aliqua Dioecesis vel Instituti ecclesia sub ritu dupliciti minori vel maiori Dominicis diebus fuerint hue usque celebratae, debeant commemorari vel omitti iuxta praescriptiones temporariae; an potius celebrari debeant in die fixa iuxta kalendarium Dioecesis vel Ordinis, servato ritu forsan altiori Officii eiusdem pro Dominicis diebus in particulari Ecclesia concessi? — *Resp.* Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

XX. — Num Festa mobilia quae in alia per hebdomadam Feria sub ritu dupliciti maioris vel minori recoluntur, ut Festa Mysteriorum et Instrumentorum Dominicæ Passionis, commemorari generatim debeant iis annis quibus impeduntur, etsi ius translationis et repositionis non habeant? — *Resp.* Affirmative, iuxta novas rubricas, tit. III, num. 4.

XXI. — Utrum facultas quae data est per novas rubricas, tit. X, num. 3, Festis a Dominica impeditis ut recoli valeant celebratione omnium Missarum, una excepta, ob votum vel concursum populi, extendi possit ad festa in perpetuum ad instar Simplicis redacta, vel penitus abolita, eo quod Dominicis olim fuerint affixa? — *Resp.* Affirmative pro simplificatis; negative pro abolitis.

XXII. — An Missae omnes quae permittuntur a rubrica, tit. X, num. 3, celebrari possint etiam si occurrat Festum duplex I aut II classis? — *Resp.* Negative, salva tamen rubrica generali Missalis, tit. VI, de translatione Festorum.

XXIII. — Quum ex nova rubrica, tit. X, num. 2, Missae privatae defunctorum in Quadragesima non licent nisi prima cuiusque hebdomadae die non impedita; quaeritur utrum haec prohibito generalis sit, atque, recurrente Festo semiduplici aut feria, Missas etiam privatas quidem seu lectas, sed de anniversario alicuius defuncti ex propinquorum devotione celebrari postulatas involvat? — *Resp.* Affirmative.

XXIV. — Utrum in Missa de feria Quadragesimae celebrata, ad normam novae rubricae, tit. X, num. 2, post commemorationem Festi duplicitis eadem die recurrentis, addi debeat tertio loco oratio *A cunctis*; et si negative, utrum sumi possit collecta ex devotione celebrantis addenda; et si pariter negative, utrum id liceat in Missa feriali, Festo semiduplici recurrente? — *Resp.* Quoad primam partem provisum per Decretum d. 22 Martii 1912 ad 5; (1) quoad secundam et tertiam partem, negative.

XXV. — Quum in Decreto die 2 Martii currentis anni praescriptum sit, Dominicam II post Epiphaniam anticipandam esse in Sabbato aut in alia praecedenti Feria, in qua occurrit festum ritus semiduplicis; et si nullum semiduplex infra hebdomadam habeatur, in Sabbato aut in alia praecedenti feria, occurrente etiam Festo ritus duplicitis minoris: (2) quaeritur quid agendum sit si tota hebdomada impediatur festis classicis aut

ritu duplicitis maioris? — *Resp.* In easu Dominica anticipetur in Sabbato, aut in alia praecedenti Feria in qua occurrit Festum ritus duplicitis maioris.

XXVI. — Quo colore utendum est in Communione extra Missam administranda in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum? — *Resp.* Utendum colore violaceo, aut albo.

XXVI. — Num in Missis Votivis Praefationem propriam non habentibus legenda sit Praefatio de Officio S. Mariae in Sabbato, quod in eisdem Missis commemorationem habet? — *Resp.* Affirmative ad mentem recentium Decretorum.

XXIX. — Utrum in Festis novem Lectionum Praefationem propriam in Missa habentibus, et infra tempus Quadragesimale, aut Passionis, aut Paschale celebratis, si dicatur, iuxta rubricam, tit. X, num. 2, Missa de feria cum commemoratione Festi currentis, adhibenda sit Praefatio Temporis, an Praefatio Festi quod in Missa feriae commemoratur? — *Resp.* Adhibeatur Praefatio Temporis, utpote propria Missae.

XXX. — Quaenam Praefatio adhibenda sit in Missa, Praefatione propria carente, in qua commemoratur tum Festum simplificatum et Praefatione propria gaudens, tum Feria Praefationem Temporis item propriam obtinens? — *Resp.* Adhibeatur Praefatio Festi simplificati et prius commemorati.

(*Ad proximum numerum.*)

## DIARIUM VATICANUM

(Mense Maio MCMXII).

### Coram SSmo admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliquos viros, qui sui quisque munera gratia Pontificem de more adverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: De Merode Westerloo, Comitissa; Mauritius Palfy de Erdod, Comes, e consilio Austro-Hungaricae legationis apud Apostolicam Sedem; diurnorum catholici scriptores plures e Belgica; peregrinorum Taurinensium, Bärchinonensium et Vindobonensium manus; Coetus Tertii Ordinis S. Francisci e civibus Romanis atque Latinis; Schönberg-Tammehaim, Dynasta eiusque uxor; De Liedkerke, Comitissa eiusque filius Carolus; Ioannes Schönburg-Hartenstein, Princeps, Austro-Hungarici Imperii legatus apud Apostolicam Sedem, eiusque familia; Quadt, Princeps foemina, cum filiabus Carola et Iosepha, atque Tattenbach, Comitissa; Eduardus Auersperg, Princeps; manus peregrinorum ex Helytia, Hungaria et Sardinia; Jeannard, militum praefectus; Landis chiliarcha; Philippus Lancellotti, Princeps Urbanus; Consilium Supremum Pontificiae Academiae « Novorum Lynchorum »; Petrus Wolkonsky, Princeps, a secretis Russicæ legationis apud Apostolicam Sedem; Constan ia de Salm, Princeps foemina; De Colleville, Comes; Victorius De Heessen, a Supremo Consilio Russicæ civitatis; Carolus Gonzaga, Princeps; Carolus Lombardi, Comes; Elisabeth Solms Braunfels, Princeps foemina; Seidler, Dynasta; Huyn, Comitissa.

(1) Cfr. sup. dub. IX.

(2) Cfr. Vox Urbis, huius an. num. IV, pag. 61.

**Pontificiae electiones.**

R. p. Dominicus Pasqualigo O. P. inter Consultores S. Congregationis Consistorialis; et r. p. Iosephus Drehmans inter Consultores Congregationis S. Officii referuntur.

**ANNALES****Gallorum difficultates in Mauritania.**

Antequam de bello dico, quod inter Italos atque Turcas geritur, Gallorum difficultates in Mauritania enunciandas monet occasio. Aliquot enim diebus et in hac septentrionali Africae regione, imo cruentius quam eodem tempore in Libya, pugnatur.

Diximus in superiore numero, seditionem Fez in urbe ortam indeque ita diffundi, ut Gallicarum copiarum novum numerum mitti in Mauritiam fieret necesse, quem reapse Galli constituerunt sub Liautey, militum praefecto, qui laudabilia iam in Africanis Gallorum coloniis experimenta fecerat. Nondum tamen imperium strenuus dux assumpsit, quem motus, ex fama profecto aucti, fore ut Mulay Afid se regno abdicaret, in interioribus provinciis late extenduntur; neque ii in Gallos unice, sed in exteris quasvis gentes, quae in Mauritania versentur. Sic, dum ad El Maasis hostiliter in Gallos proceditur, Beni-Essen Teutonicum emporium vastatur; denique, consociatis viribus, rebelles, qui viginti quinque hominum millia esse dicuntur, Fez ad urbem caput colliguntur eamque obsidione cingunt. Galli eruptionem tentant, ex qua tamen milites centum, inter mortuos ac vulneratos, reportant. Quod gravius est, Hispanorum quoque status in Mauritania fit, qui vim vi repellere ad Melillam et ipsi conati sunt. Quid inde? Eventus non sine quadam trepidatione expectantur.

\*\*\*

**Bellum inter Italos atque Turcas.**

Mense Maio huiusce belli theatrum productum est usque ad Aegeum mare; nam Itali, progressiones in Libya fere derelinquentes — Lebda enim urbem ulterius unice suam fecerunt — ad Sporades insulas occupandas se convertunt. Post Stampaliam insulam, in qua sub finem mensis Aprilis copias exposuerunt, Rhodo potiti sunt, cuius praesidium, et ipsum regium praefectum, captivos fecerunt, — ac deinde Scarpanto, Caxos, Thilos, Nisiros, Pathmos, Calimno, Leros, Symi, Cos insulis nullam aliam viam Turcico gubernio ad hostes propulsandos, prouti videtur, derelinquentes, nisi cives Italos omnes, qui Turcarum in imperio viverent, turmatim de improviso expellere. Optimum hercle! consilium, et cultis gentibus, quae Turcae sunt, apprime dignum!...

**PUBLICI PER ORBEM COETUS  
legibus ferendis**

In **Anglia** post ratam legem de ecclesiastica re a civili seiungenda in Gallensi principatu, rerum navalium rationes a Churchill administro propositae in examen revocantur.

In **Austria** Berchtold Comes, qui, ut omnes norunt, Aehrenthal, Comiti, in gubernio moderando successit, fusa oratione consilia praedecessoris sui non iri immutatum confirmavit.

In **Belgica** ob reformatam comitiorum legem publicorum legatorum coetus dimissus, novaque comitia ad d. II mens. Iunii indicta.

In **Gallia** Paulus Deschanel publico coetui legum ferendarum praeses electus.

In **Germania** rationes accepti et expensi pro coloniis adprobatae, acresque habitae disceptationes circa Caesaris minas, fore ut constitutio pro Alsatina provincia possit abrogari. Denique leges expensarum tum pro exercitu, tum pro classi sanctae.

In **Hungaria** tumultus a socialistarum factione excitati ut suffragii ius magis amplificaretur quam ut administratorum collegium proposuerat, repercussionem habuerunt in publicorum legatorum coetu, ubi magna cum difficultate lex de militaribus negotiis tutandis producitur.

In **Italia** contra, lex a Giolittio proposita per quam ius suffragii extenditur, plurima suffragia obtinuit.

In **Lusitania** per legem abrogata civitatis legatio apud Apostolicam Sedem.

In **Russia** latae leges de delectibus reficiendis, de expensis ad classem augendam, de operariis denique per praevidentiae rationes protegendis.

In **Suetia** rogatio legis ad ius suffragii mulieribus concedendum reiecta.

In **Turcarum imperio** publici coetus praeses renunciatus Halil, quondam administer; Nail *bey*, aerario praepositus, a munere abdicavit.

**PER ORBEM**

Die II mens. Maii MCMXII speculatoria Turcarum navis, cui nomen *Semendre*, in Hellesponto, contra incendiarium quemdam globum ex iis, qui in mari adversus Italos immissi fuerant, forte offendens, subvertitur. Dux ac nautae duodecim malo fato succumbunt.

— d. III Georgius, Leuchtenbergi-Dux, Lutetiae Parisiorum obit.

— d. VI nunciatur Raphaelis Sanctii tabula Elisabeth Gonzaga, Urbini Ducissam, referens, quam artis periti omnes peremptam autumabant, neco-

pinato eventu a Boyer d'Argene doctore apud Parisios reperta fuisse.

— d. vii novae eaeque gravissimae inundationes Luisianam, septentrionalis Americae provinciam, late pessumdat.

— d. viii Aurelianensi in urbe sollemnia anniversaria in honorem Ioannae de Arc insolita pompa publice celebrantur, quingentesimo recurrente anno a beatae puellae ortu.

— d. ix in Mexicana regione vehemens terrae motus ingentia damna procurat.

— d. x Sain-Mans-Les-Fausses, in oppido Galliae, septuaginta et novem annos natus moritur Duployé ille canonicus, « stenographicae » rationis inventor, quae ab ipso nomen accepit.

— d. xiv Christianus Fridericus Gulielmus Carolus VIII de Holstein, Daniae rex, morte repentina perit Hamburgo in urbe, quam proxima die petierat. Natus erat Codaniae, in urbe Danorum capite, d. III mens. Iunii MDCCXLIII ac solium ascenderat, per obitum Christiani patris, d. xxix mens. Ianuarii MCMVI. Ei succedit filius natu maximus Christianus Carolus Fridericus Albertus Alexander Gulielmus, trigesimum ac tertium aetatis annum agens, nomine Christiani X.

— d. XVI Stocolmae obit Augustus Strindberg, Milesiarum fabularum scriptor in Scandia iure meritoque celebratus.

— d. XVII Alexander Madalada, physics Italicus doctor, in Vesevilatebras intimas studii causa impavide ac feliciter descendit.

— d. XVIII curruum series vapore acta, Lutetia Parisiorum ad Montoise profecta, in alteram occurrit. Viatorum nonnulli misere necantur, aliique plures vulnera patiuntur.

— d. XX Santander, Hispanico in oppido, supremum spiritum edit Marcellinus Menendez Pelayo, vir in Iberia nostris diebus omnium literatissimus.

— d. XXI Georgius Gulielmus de Cumberland, automobili curru Codaniam petens, ad Freisack oppidum, devoluto vehiculo, heu! contunditur.

— d. XXIII Gatici, Chilensi in oppido, quum aquae improviso fodinas pervasisserint, cunicularii quadraginta infelicissimam mortem oppetunt.

— d. XXIV Budae Aquinci, Hungarorum in urbe capite, ob operariorum a laboribus ex condicto desertionem, tumultus fiunt, per vim aegre a milibus sedati.

— d. XXVI novae opificum desertiones ex Anglia nunciantur.

— d. XXVII Hans Block, clarus musices auctor, Bruxellis vita fungitur.

— d. XXX inundationes post hominum memoriam in Hungaria nondum auditae Marmaros eionem vastant.

— d. XXX Vilbour ille Wright, studiis atque machinis suis maximus aviationis impulsor, Deyton, Septentrionalis Americae in oppido, febri, curis omnibus rebelli, viridi adhuc aetate interit.

## LIBRI RECENS DONO ACCEPTI

*Sociorum et lectorum in mentem revocamus, libros recens editos atque ad nos missos, ut in Voce Urbis eorum notitia detur, neque hoc ipso a nobis commendari, neque apud administratorem nostrum, nisi contra aperte declaretur, venumdari. Si quis alterum eorum sibi cupiat, petat necesse est ab editore, quem semper indicamus.*

G. LAPERRINE D'HAUTPOUL. *Lettres à un homme du monde sur les Epîtres de S. Paul aux Galates, aux Thessaloniciens, aux Ephésiens.* — Romae edid. Desclée et Soc., 1912. (Ven. lib. 4).

Card. A. CAPEL LATRO. *Amiamo il popolo.* — Indidem. (Ven. lib. 0,30).

LÉON DE SEILHAC. *L'utopia socialista.* — Indidem. (Ven. lib. 0,60).

## AENIGMATA

### I (vulgo REBUS).

V. E. R. B. A d V u I m M ORATIONI AD DUNT

### II.

Flumine perpetuo me sanguinis irrigat unda;  
Inseritur mihi rho? Servili munere fungor

**Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Doctorem IOSEPHUM FORNARI, Commentarii moderatorem (Roma, via del Governo Vecchio, 96) miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet I. B. FRANCESIA comoediam latinis versibus scriptam, cui titulus:**

SATURIO.

Aenigmata an. XV, n. III proposita his respondent:

1) Robur; Rubor. - 2) Spica; Pacis

Ea rite soluta miserunt:

Petrus Tergestinus. — Christ. Del Fierro, Mexico. — F. Ortiz, Morelia. — Vinc. Starace; Ant. Pintauro, Neapoli. — Ant. Masia, Terragona. — I. Menendez, Madrid. — Diomedes Falva, Constantia. — Alb. Perraud, Lutetia Parisiorum. — Arm. Duval, Massilia. — Hern. Cayron, Lugduno. — Raim. Silvan, Londino. — Alb. Kain, Dublino. — F. X. M., Drepano. — Franciscus Salvatore, Syracusis. — Nic. Langumina, Panormo. — Ferd. Ricci, Florentia. — N. Bianchi, Augusta Taurinorum. — I. Martins, Philadelphia. — Georg. Archambeault, Quebeco. — Mart. Dunne, Neo Eboraco. — Paulinus a S. Iosepho, Barcinone. — Nic. Endrigi, Salisburgo. — Rich. Müller, Berolino. — Fr. Xav. Ghion, Ostrio. — R. Richi, Traianopolis. — Clem. Fiard, Curia Rhetorum. — Rich. Brondel, Brugis. — F. Arnori, Mediolano. — Lud. Kobiezyki, Leopoli. — Alois. Cappelli, Senis. — Fr. Bernardinus a Monticolo, Aveano. — Fr. Baturewicz, Zytomiria. Sortitus est praemium:

FRANCISCUS SALVATORE,

ad quem missum est PETRI ANGELINI opus, cuius titulus:

DE POETIS ET NUMERIS LATINIS.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus

ROMAE — Ex officina Societatis Editricis Romanae.

# ANTHEA

(4)

**(Ex fabula H. SIENKIEWICZ Poloni: *Eamus ad Ipsum*).**

Opportuna animadversione percusus procurator paulum reticuit; dein collecto animo:

— Mihi quidem — inquit — nihil magis improbatur, quam eorum ratio qui nullum adhibent nec in opinando nec in agendo modum. Quid prohibet quominus medium quoddam teneatur iter? Nihil tamen in vulgo modicum, vixque reperias qui sibi dictum putet: *est modus in rebus*. Hic dego, quia hīc mihi degendum; commorandum mihi est apud hunc obicem. Verum haec ad rēm vestram nihil attinent. Itaque, ut ad propositum redeam, auctor sum vobis ut spectaculo adsitis Nazareni, fortiter profecto morituri. Edixeram quidem ut virgis caederetur, ratus, quae mea humanitas est, ita posse servari. Ille autem cruciatus et verbera, quasi agnus immolandus, patienti animo tulit; quumque rupto corpore manaret crux, oculis in caelum conversis, bene precabatur populo. Evidem huic homini parem vidi neminem. Interim hodie, vel ab horis matutinis, mea non cessavit uxor urgere me assidue: « Ne quid tibi rei sit cum iusto: cave ne imeritum perire sinas ». Nec mihi molesta erat muliebris pietas. Nam prodigiis bis e praetorio concessionabundus, si forte possem efferatae plebis furorem compescere. At flagrantior inde vis: supinis cervicibus ac dehiscente rictu teterrime adstrepere omnes truculentis vocibus: « Crucifige! »

— Deditine manus vietas? — inquit Cinnā.

— At, nisi fecisset, restingui herele incendia illa non poterant. Meum autem munus est civium saluti consulere ac sedulo advigilare ne publica tranquilitas ulla de causa turbetur. Extrema vitare, medium se gerere, in neutrīs partibus esse, id mihi semper optimum visum est atque tutissimum. Ceterum huiusmodi negotiis adeo sum fractus, ut tertianae impetum timeam. Postremo agitur de homine obscuro, cuius nemo suscipiet curam; publica vero salus postulat ut unus det poenas; qui si meliore fortuna non utitur, dii immortales viderint, qui eum civem romanum esse noluerunt.

Cui Anthea:

— Non Romae tantum affulget Sol.

— Obsecro, Anthea, — inquit Pontius — ne mecum severius agas. Tuas te facile coniux docebit, latam semel sententiam revocari non posse; nisi quid vis ad haec, Cinnā.

— Ita prorsus.

Haec ingrata mulieri acciderunt, secum mussitanti, qui fieri posset ut atrox esset obeunda mors homini, qui ab honesto discessisset nunquam.

Cui Pontius:

— Nemo culpa vacat. Neque tamen constat admissum quidquam ab isto fuisse quare videatur accusandus.

Idcirco lavi procurator manus. Necesse autem est omnem ab illo mortis abesse metum, qui se resurrecturum affirmat.

— A mortuis excitabitur? — Ita coniux uterque, inauditae rei novitate percussi.

— Imo intra dies tres, uti eius discipuli praedicant. Poteram quidem ex ipso quaerere; sed excidit mente. Ceterum parvi refert; siquidem mors omnia solvit, etiam promissa. Neque vero, si eius resurrectio nulla fiet, is quidquam detrimenti capiet. Profitetur enim, nec remisse quidem, sed ex animi sententia, quum corporibus excesserimus, tum demum initium fore vitae beatae; quo acerbiora quis tulerit, eo faciliorem illi aditum in caelum patere; amandum maxime: in omni vita semper amandum.

— Singularem plane doctrinam — inquit Anthea. — At certo scit ille, nos, relictis corporibus, posse aeternum ac iucundissime vivere?

— Persuasum sic habet: idecirco non deterret eum mors.

— Quam praeclare nobiscum actum esset, si ita foret! At, quaequo, unde ista novit?

— Accepisse se affirmat a patre hominum, qui Iudeis idem est ac Iupiter nobis, sed illum dicit esse unicūm Deum eumdemque clementissimum.

— Ecquid optabilius? — inquit aegra.

Substitit aliquamdiu Pontius haesitanti similis, fortas de doctrina Nazareni cogitans. Tandem, petita venia abeundi, surrexit.

Tum Anthea:

— Duc, oro, Cai; due ad visendum hominem.

— Properate; — inquit Pontius — mox enim feralis pompa procedet.

Diem, matutinis horis serena ac tranquilla luce nitentem, obruere tenebrae sub meridiem adductae, vacuo caeli spatio urbi tantum relieto.

Iamque ad collem, qui dicitur Golgotha, fit populi concursus, festinantium occupare sedes ad visendum apprime commendas. Qui vel ab orto sole convenere, a prospectu urbis late patenti non dimovent oculos, ne forte eos pompa inde processurae fugiant initia.

Prior conspecta est, media inter Cinnam et centurionem quandam, Antheae lectica, septa procuratoris militibus, quibus luctandum in turba erat ut sternerent viam, ac, si res postularet, contra invidiae plebis iniuriam tutandi peregrini. Ceterum Anthea, quamvis meridianum tempus adasset, quo solebat exterreri visis, securior admodum videbatur atque tranquillior.

*(Ad proximum numerum).*

PETRUS ANGELINI.